



2



DISSESSATIO INAVGVRALIS SEMEIOLOGICA

DE

CONVULSIONE VT SIGNO

QVAM

FAVENTE SVMMO NVMINE
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO
DN. FRID. CHRIST. IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
HVIVSQVE PROFESSORE PVEL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII
AC ORPHANOTROPHEI HALENS. MEDICO

CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

D. XXIII. DECEMBERIS A. S. R. MDCCCLXI.
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR

ERNESTVS GOTTLIEB HOELTZER
BVRGENSIS

HALAE AD SALAM

AERE SCHNEIDERIANO.

14



UNIVERSITATIS NAVARRAE SEMINARIO AC

DE

C O N V U L S I O N E A T S I G N O

GRADU DOCUMENTIS
C O N V U L S I O N E
A T S I G N O





PRAEFAMEN.



Teste perillustri van SWIETEN in commentariis, effectus conuulsioneum mirabiles sunt & innumeri; nihil enim in toto corpore manet non turbatum, siue solida siue fluida species, siue actiones ipsas, quae ab his pendent; mutantur singula & uniuersa in toto corpore enormiter. Quae cum ita se habent, omnibus certe propositum nostrum laudabitur, conuulsiones a nobis ut signa proponi. Valet hic omnino, quod dicitur in proverbio: raro melius aliquid succedere. Tametsi autem conuulsio frequenter inducat periculum maius; haud raro tamen terrible hoc symptoma auspicatorem adipisci-

A 2 tur

*tur euentum. Diuersam itaque prognosin, ex con-
uulsionum accessu formandam, pro viribus explicabo.
Quod propositum ut feliciter eueniat, diuinum im-
ploro auxilium! De caetero hunc laborem Tibi B.
L. de optimo commendabo.*

§. I.

Dissertaturo mihi *de conuulsione utpote signo me-*
*dico necessarium esse videtur paucis verbis ante
 omnia explicare, quod conuulsio non solum, si-
 cuti *morbus*, verum etiam tamquam *signum* medi-
 cum agnoisci & considerari possit. Morbi instar
 conuulsionem diiudicamus si diuersimodam laesio-
 nem seu mutationem quam in regulari successu, qua-
 rumlibet functionum corporis humani per se pro-
 ducente valet, attendimus, quatenus nimirum per
 eandem sanitas corporis impeditur ac laeditur: seu
 quando ipsius historiam, modum fiendi, caussas, ef-
 fectus & symptomata secundum principia patholo-
 gica perquirimus.*

*Vt *signum* vero consideratur conuulsio, qua-
 tenus illa alio morbo superuenit, & illius siue salu-
 tarem, siue magis periculosem & noxiem imo suc-
 cessum futurum indicat.*

§. II.

§. II.

Re vera autem conuulsiones multorum morborum esse comites & idcirco vtpote signa habendas, huius asserti veritatem non solum antiquissimi, verum etiam mediae & nouae aetatis auctores luculentur cumulo testimoniorum, quorum nonnulla in sequentibus passim leguntur, confirmant.

§. III.

Conuulsionis quidem notio omnibus artis filiis satis nota est, ne vero contra receptum morem peccemus hoc loco in memoriam reuocare conueniet. Dicitur itaque *conuulsio violenta & alterne repetens musculosarum partium contractio*.

Distinguunt quidem medici optimo iure conuulsionem in *idiopathicam* quae ipsis alias epilepsia audit. & in conuulsionem *symptomaticam*. Verum cum hic de conuulsione, ut signo aliorum morborum, nobis agendum sit, morbus autem idiopathicus alias istum statum praeter naturalem significet, qui non ab alio iam praeexistente morbo determinatur, sed ab alia propria quacunque caussa efficitur, facilissime hinc liquet, quod solummodo in hac nostra tractatione sermonem de symptomatica conuulsione institutur simus; quippe quae per notionem symptomatis

A 3 pro

pro caussa sua semper morbum qualemcumque alium
praesupponit.

§. IV.

Cum ex nostra superius data definitione illucescat, *formale* omnium conuulsionum in violenta ac notabili exacerbatione motuum consistere; nulla difficultate inde demonstrari poterit, quod accessio conuulsionum ad alias morbos multas ac magnas producat mutationes. In genere per conuulsiones motus morbos augmentur. Quibusdam morbis hoc augmentum motuum admodum proficuum est, nimirum illis, quorum materia peccans pigrior valentiores actiones requirit. Aliis vero affectibus morbos tale motuum incrementum damnosum euadit, in quibus scilicet placida magis ac moderata actionum administratio proficia deprehenditur. Deinde generalis etiam effectus conuulsionum in eo consistit, ut propulsiones humorum versus varia loca cum impetu contingant. Ita coaceruatur sanguis in interioribus partibus, motus progressiuus inaequalis redditur, & ita coctiones singulae morbosae turbantur. Interdum autem ad expulsionem apta expelluntur, quaedam itinere retardantur, alia conquassantur & per vehementem concussionem euacua-

cuationi idoneae redduntur. Nonne his omnibus morborum Schemata variantur?

§. V.

Non solum autem formalis conuulsionum ratio tam diuersos effectus in aliis morbis edit; verum quoque *cauſa* conuulsionum varia diuersis morborum metaschematismatibus ansam suppeditat. Et quia porro conuulsionum cauſae admodum sunt diuersae, aliae grauiores, aliae leuiores exſtunt, sequitur inde effectus ex accessione conuulsionum fore diuersos in variis morbis, prout cauſae, e quibus conuulsiones oriuntur, inter ſe variant.

§. VI.

Cauſa nimirum conuulsionum erit diuersa vel pro diuersitate morbi cui conuulsiones iunguntur aut superueniunt, vel pro varietate cauſarum occaſionalium. Cum enim conuulsiones, de quibus sermo ventilatur, ſymptomata ſint, ideoque alios morbos concomitantur, quisque facile videbit cauſam non subeffe peculiarem atque specificam ratione conuulsionum, ſed communem ab ipſo morbo primo dependentem, quatenus ſcilicet natura cardinali ipsius morbi cauſam ut malum maxime fonti-

sonticum eiusque effectus summe periculosos, vel physice sentit, vel moraliter aestimat, ideoque sub generaliore intentione molestias aut noxas remouendi eiusmodi motus conuulsuos suscipit, vt id, quod ordinariis motibus obtemperare recusat, violentia quadam exprimatur & expellatur.

§. VII.

Prius itaque quod attinet, pro diueritate nimirum morbi, cui conuulsiones accedunt, cauissimae earundem exsistere diuersam, id facile intelligitur, si modo generatim sequentia momenta consideras.

1) Morbos in solidis, siue membranaceis, siue neruosis &c. partibus humani corporis obuenire & pro harum differentia nervios diuersimode stimulari & ad conuulsivum motum excitari.

2) Morbos tamquam chronicos vel acutos, imo perquam acutos, omnesque iterum vtpote malignos & benignos occurrentes, materias contineare peccantes diuerso sane stimulo gaudentes.

3) Morbos partium fluidarum pro quantitate nimia grauante, vel spissitudine motuum apparatu resistente, vel degeneratorum humorum irritacione, actiones quoque excedentes & conuulsuas efflagitare.

Poste.

Posteriorius vero nostrum assertum, conuulsione
num caussas pro caussarum occasionalium differen-
tia fore varias, nemo in dubium vocabit, qui gra-
uissimos illos effectus considerat, quos diaetae er-
rores, regiminis vitia, pathemata animae, omnium
rerum nonnaturalium abusus, in morbis tam acutis,
quam chronicis producunt.

§. VIII.

Breuiiter igitur expositis generalioribus mo-
mentis, ex quibus conuulsionum efficacia in aliis
morbis mutandis cognoscetatur, speciatim ad for-
mandam prognosin accedo. Quoniam autem pa-
ginae angustae huic exercitio destinatae amplitu-
dinem argumenti vix capere poterunt, licebit rem
omnem quantum fieri poterit, succincte exprimere.
Agendum ergo de conuulsione ut signo, primo in
acutis, deinde in chronicis morbis.

§. IX.

Ad *acutos* morbos febres omnes breuioris pe-
riodi numerari ex pathology constat. A potiori
itaque, si prognosin determinare placet, conuulsio-
nes morbis acutis superuenientes ancipitem plerum-
que fortiuntur euentum. Hanc veritatem iam ob-

B

serua-

seruauit **HIPPOCRATES** et hinc *Coac.* 358. ita eloquitur. *Conuulsio febri superueniens periculosa sum.* Sed haec regula multas patitur determinationes, limitationes et exceptiones, quas sequentibus paragraphis perlustrabimus.

§. X.

Imprimis in diiudicanda conuulsione ut signo in acutis oportet respicere ad *consuetudinem, aetatem & tempus.* Etenim subiecta quae ob leuissimas causas eiusmodi motibus conuulsiis corripiuntur, febribus acutis afflita ob minima impedimenta per consuetudinis rationem conuulsiones facile subeunt, & minus periculosa obseruantur. Quod assertum **NENTERVS** in *fundamentis medicinae, Tom. II.* pag. 375. testatur, inquiens: *Qui chronice conuulsionibus adfueti fuerant, si in acutis iisdem corripiuntur, minus periculi incurront, quam si a talibus semper liberi fuerunt.* Porro aetatis ratio habenda venit, nam adolescenti & adultae aetati quae contingunt conuulsiones multo periculosiores sunt, quam quae iunioribus annis constitutis accidunt. Quorsum **HIPPOCRATIS** dictum *Coac.* 356. referendum erit, dum ait: *Pueris, quos conuulsiones*

nes cum febre tentant, aut huic succedunt, quamvis diurnae sint, innoxias tamen esse obseruantur, nisi reliqua omnia perniciem nuncient. Et alterum effatum Coac. 357. ita se habens: *Adultiores, & qui septimum annum excesserunt, convulsione in febre non prebenduntur; alioquin periculum denunciatur.* Praesertim diuersa tempora, in quibus convulsiones acutis febribus superueniunt, obseruare decet, quia secundum temporis discriminem convulsiones ut signa varii admodum sunt valoris. Quam differentiam B. I V N C K E R V S in *consp. medic.* pag. 451. iudiciose sequentem in modum docet: In *acutis per initia quidem morbi symptomaticae convulsiones, minoris, sub statu maioris, in declinatione & tempore debiti exitus summi periculi sunt, ac morbum lethali euentu claudunt.* Quia in initio morbi coctiones vix inchoatae sunt, turbationes earum per convulsiones non magni momenti existunt; imo in quibusdam casibus resolutio & conquassatio materialium peccantium actione convulsiua paullulum promouetur. Modo ne ultra primum diem continuent, alias peioris prognoseos euadunt. Forsan ad hunc primum diem respexit Covs, dicens: *Convulsio in febre suborta, eademque die definens, nihil metuens*

dum esse declarat. Coac. 156. Quo plura vero incrementa morbus naestus est, eo periculosior accedens conuulsio putanda, vt plurimum enim placidum febris successum turbat, secretiones vitiosorum humorum impedit, varias actionum anomalias inducendo, saepius fit lethalis. Maximum ordinario modo & summum periculum inuoluit, si febrium statum & declinationem perrumpit, inducendo simul manifestam motuum malignitatem. Ast unica datur etiam huius assertionis exceptio, quando nimirum conuulsio cum coctionis signis proxime ante diem criticum apparet; tunc bona felicitate quandoquidem accedit, vt crisis, quamquam maxime laboriosa & anxia, tamen adhuc bona cœniat.

§. XI.

Potissimum autem prognosis ex conuulsione differt pro diuersitate Febrium earumque cauſarum *sanguineis* febribus frequentes associantur conuulsiones, & cum purae continentis raro in nostris regionibus obseruantur, hanc conuulsionum accessionem in febribus ex continentibus et continuis compositis saepius animaduertere licet. Plethora enim

enim praesertim in iunioribus subiectis floridis motibus febrilibus magnum impedimentum ponit quare natura statim ad imminuendam plethoram actiones conuulsuas excitat. A quibus tamen conuulsionibus plerumque nihil metuendum erit, vel enim haemorrhagia naturali, vel artificiali facile soluuntur, quemadmodum B. IVNCKERVS in *Conspct. semeiolog. tab. de motus tonici alterationibus affirmat, dum dicit:* Conuulsio a plethora originem trahens, eadem imminuta, sponte euanscit. Parimodo mitiorem prognosin in *variolis & morbillis* notamus, nam secundum SYDENHAMII & BAGLIVII obseruationes infantes morbillos variolasque nondum perpepsi si motibus conuulsuis & ardore circa lumbos corripiuntur, dicti morbi in procinctu stant & postero die bono plerumque cum successu sunt exspectandi. In aliis *malignis* autem febribus conuulsuae actiones summum inducunt periculum, quia materia miastmatica, quae per habitum corporis uniuersum expelli debebat, hoc concusso ad interiores partes cum insigni damno fertur, & nisi diapnoe statim restituitur, euentum nanciscitur lethalem. Interim frequentiorem conuulsionum ad febres malignas accessum nullo modo

B 3

mira-

mirari debemus, dum satis cognitum est quod mi-
asma volatile imprimis lympham ac liquidum ner-
ueum ingredi soleat, ideoque confusum spirituum
influxum, vtpote principalem conuulsionum caus-
sam, excitare possit. Interdum sed raro *exanthe-*
mata febrilia feliciter per conuulsiones expelluntur,
quae autem retrocessionem efflorescentiarum exci-
piunt pessimae sunt. Quod vero *febres continuas*
simplices & catarrhales concernit, illis rarissime
conuulsio superuenit, nisi coctiones impediantur,
totaque turbetur febris. Quando igitur in eiusmo-
di febribus conuulsio cum signis cruditatis appetet,
tunc acrisia & pernicies timenda erunt. Per prae-
cepta enim pathologica constat, quod in his febri-
bus urina crassior, coloratior, cocta saepe & con-
tentis saturata mingi debeat, quia velocitate san-
guinis & calore maior humorum in sales, pinguedi-
nes aliasque impuritates fit resolutio; unde sane B.
BOERHAAVIVS doctissime docuit: *si in febre post*
vrinam crassam prius emissam mox aquosa, pellucida
erit, dein conuulsio fit, pessima est. Porro conuul-
siones febrem ardentem saepissime comitari & pe-
riculosam esse comitem inde patet, quia ex aetiologya
huius febris scimus, sanguinem minus meabi-
lem,

lem, rapidissime tamen vi cordis arteriarumque motum, angustissima quidem vasorum minimorum officia ingredi, sed dum in illis obstruitur, hinc tenuissimam sanguinis partem deficere; adeoque liquidi neruei secretionem ac liberum per encephali substantiam transitum impediendo, conuulsionem producere. Summum denique vitae discrimen adest, si conuulsiones *febribus inflammatoriis* accedunt. Nam omnis spes restitutionis in inflammationibus internis consistit in discussione congestionis & resolutione staseos; his vero indicationibus plane contraria conuulsiones inferunt, quippe humores in interioribus congerunt, coaceruant & accumulant, stasesque multiplicant. Merito igitur conuulsio signum instantis mortis in febribus inflammatoriis auncupatur. Praecipue Phrenitis exitialis hoc habet proprium ut in conuulsiones desinat. Hoc assertum confirmat B. BOERHAAVIVS, inquiens; *si inflammationis signa praegressa subsequitur conuulso, fere letalis.* Designat enim tunc, sicuti Perilustris commentator *van SWIETEN* testatur, caussam inflammatoriam tam validam esse, atque adeo profunde adactam in vasorum cerebri angustias, ut ipsa medulla cerebri afficiatur.

§. XII.



§. XII.

Tandem circa prognosin, ex accessu conuulsionum ad febres acutas formandam, respectum quoque caussarum occasionalium esse habendum indicauimus. Huiusmodi caussae a rebus, vt dicuntur, non naturalibus, quibus per longum temporis spatium carere non possumus, innumera subsidia acquirunt. Omnes animae commotiones modum excedentes: alimenta vitiosa, aut indecenter assumta; atmosphoera inimica praesertim refrigerationes immodicæ; vitia regiminis, aliaque ex hac classe hue faciunt. Etiam si vero singula dicta origini convulsionum saepius ansam suppeditent, tamen convulsiones ex caussis occasionalibus natae raro periculum notabile inuoluunt, sed plerumque remotis caussis sponte iterum euaneſcunt.

§. XIII.

Nec non huc pertinet conuulsio, quae excretiones in acutis nimias sequitur, & quae pessimae prognoseos exſiſtit; quem lethalem euentum quoque annotauit B. BOERHAVIVS ſequentem praedictionem exhibens: *ſi in febre post magnas euacuationes ori- tur conuulsio, & haec fere letalis.* Vires enim nimia excretione amissae, tam ſubito nutrientibus reſtitui

stitui nequeunt, quia optima ingesta chymificationem et reliquas viscerum actiones requirunt, quae in febricitantibus vel ex parte vel plane deficiunt. Hinc patet curationis difficultas. Simile quid in mactatis animalibus obseruamus, quae proxime ante mortem validissime conuelluntur. Ex haec tenus disputatis patet, in conuulsione febrili magnam differentiam subesse, neque adeo facile desperandum.

§. XIV.

Accedimus ad alteram cardinalem dissertationis nostrae particulam, nimirum ad eruenda signa ex conuulsionibus in *morbis chronicis*. In genere itaque praedicare valemus, conuulsiones in morbis chronicis, nec impetu excedentes, nec frequentia peccantes, nihil ordinarie periculi portendere. Hoc generale effatum NENTERVS in fundamento theoret practicis Tom II.p. 375. per hacc verba eloquitur: Quae extra acutos morbos oriuntur & a chronicis morbis dependent, nihil aequae periculi post se trahunt ordinarie, nisi ad modum sint vel vehementes vel frequentes. Sed etiam haec regula

C gene-

generalis multas patitur exceptiones, quas breui-
ter adumbrabimus; difficulter enim in rebus se-
meioticis propositiones uniuersales ventilare licet,
dum diuersitates morborum eorumque complica-
tiones obstant.

§. XV.

Dantur nonnulli morbi chronicī quibus "con-
vulsionum accessio admodum ominosa exsistit. Ad
hos imprimis pertinet *angina*, quae sibi relicta iam
morbum notatu dignum & curatu difficilem con-
stituit; accedente vero conuulsione inflammatio
augetur & aperto ore aerem petunt. Hoc peri-
culum etiam obseruauit HIPPOCRATES, enun-
cians; *anginae succedens conuulsio, lethalis*. Qui
enim angina moriuntur, plerumque conuulsi ma-
gis, quam suffocati intereunt. Porro colica san-
guinea funestum sortitur euentum, si conuulsiua
euadit, dum presso quasi pede talem conuulsionem
gangraena sequitur. Dein secundum HIPPOCRA-
TEM conuulsio ex vulnere lethalis habenda venit,
magnam enim neruorum laesionem supponit; quae
autem

autem prognosis interdum exceptionem in sensibili-
oribus agnoscit.

§. XVI.

Curatu difficultimae sunt conuulsiones ha-
reditariae, inueteratae, continuae et vniuersa-
les, eaque a grauioribus viscerum laesionibus,
venenis & similibus ortae. Hinc B. IVNCKE-
RVS solide docet. *Conuulsiones chronicis vi-*
scerum laesionibus superuenientes, pertinaces sunt,
nec facile medicationi auscultant. Quando autem
per anodyna suppressimuntur paulo post recurrent,
eoque magis ferociunt. Haemorrhagias nimias
mala quandoquidem & mortifera conuulsio exci-
pit, quia a copioso & excedente sanguinis pro-
fluvio balsamus vitae optimus absumitur, colla-
pus vasorum minorum contingit, humorum cir-
culus pericitatur, & secretio liquidi neruei im-
peditur. Etiam illa conuulsio suspecta putanda
erit, qua ebriosi conuelluntur; quare HIPPOCRA-
TES inquit: *Si quis ebrius derepente voce priua-*
tur, conuulsus moritur, nisi febris corripuerit,
aut ea hora, qua crapula soluitur, loquitur. Hic
enim aphonia grauem cerebri laesionem et neruo-



rum ab congestione impetuosa compressionem indicat, quae nisi intra paucas horas, quibus crapula alias soluitur, discutiatur, et per insignem motum quasi febrilem resoluatur, facile conuulsiones et mortem, praecipue in senibus et languidis, efficit.

§. XVII.

Non minorem periculi gradum inuoluit illa conuulsio, quae foeminas abortum passas corripit. Nam teste ARETAEO Lib. I. Cap. VI. *Mulier ex abortu conuulsa, raro euadit.* Procul dubio causa huius prognoseos in momentanea ac plenaria fluxus lochialis suppressione ponenda videtur. Quis enim Medicorum nescit, quod haemorrhagiae abortiuae omnes largiores esse soleant & debeant; si ergo conuulsione talis fluxus plane intercipitur, tum grauiora pathemata producuntur, nempe febres acutae inflammatoriae, praecipue etiam exoritur maligna miliaris, quando simul retentio & corruptio secundinorum facta fuerit, vel in morbum chronicum abit. e.g. hepticam, cachexiam, ascitem et tympanitem.

§. XVIII.

Etiam deliriosis seu mente captis conuulsiones suspectae sunt. Dum enim conuulsio systema ner-

neruorum potissimum afficit, & omne delirium qualcumque cerebri laesionem supponit, euidenter patet, delirium augeri, si nerui vehementer conuelluntur. Saepius vitia sensuum quoque exterorum inde visa fuerunt; vnde HIPPOCRATE'S affirmat: *Insanientibus accedens conuulsio, oculorum aciem retundit. Coac. 485.* Praeterea conuulsio assiduis vigiliis aut doloribus in omnibus morbis chronicis succedens, sinistrum etiam praebet omen.

§. XIX.

Pauciores notantur morbi, in quibus conuulsiones bonum praestitisse euentum affirmatur. Ita febre quartana laborantes, notante HIPPOCRATE Sect. V. Aphor. 70. non facile conuulsione tentantur, imo superueniente ea liberantur, forsan ex eo fundamento, quod per actiones conuulsivas humores viscidi, tenaces viscera venae portae obstruentes facilis resoluuntur & excutiantur. D. PAVLINI *Ephem. A. N. C. Dec. II. Ann. VII. Append. p. 133.* nobilem puerum a dysenteria terribilis conuulsionis accessu liberatum, memorat. Sed tales casus oppido raris accensentur.

dos arbitror, non minus ac istum, quando D. GRASSIUS *Ephem. A. N. C. Dec. I. Ann. III. p. 331.* infantem, ischuria pertinaci laborantem, conuulsiuo paroxysmo restitutum obseruauit. Lubens fateor, modos, quos natura in procreandis his actionibus therapeuticis adhibuit, ipsasque vias, per quas haec negotia perfecit, non omnes patere, minusque esse demonstrabiles; cum interim τὸ ὄτη in aprico iaceat.

§. XX.

Infantes sub *dentitionis* negotio frequenter conuelli, quotidiana fere constat experientia. Sed distinguenda est conuulsio difficultiori dentitioni accedens: alia dependens a dolore, quem dens sub protrusione periostio maxillas inuestienti pungendo excitat, & haec nullum adfert damnum; alia vero ab saliu acri ventriculum ac intestina arrodente producitur, eaque saepius euadit periculosa, nisi congruis remediis tempestive damnum prohibeatur. Etenim infantes, qui exspuere nesciunt, saliuam, in ore & fauibus stimulo doloris largiter confluentem, deglutiunt, quae deinceps a naturali temperie in acrem causticum transit humorem, & tam nimias diarrhoeas, quam vehementes conuulsiones inchoat. Ipsa etiam primarum viarum nimia irritabilitas symbolam suam con-

confert; ex qua potissimum fit, ut quaelibet peccantia in tractu cibario, praecipue etiam *vermes*, facile conuulsiones producant. Si enim partes, ex quibus stricturae conuulsuæ ad spinalis medullæ meninges subito propagantur, inquirimus, principem sibi locum vindicat membranaceus ventriculi ac intestinorum canalis, quia ventriculus, praeter neroos quos ab oœstro pari accipit, etiam a nerois ex prima & secunda dorsi vertebra emergentibus, & in costalem ramum abeuntibus mutuetur, nec non intestina ramos nereoos a ramo oœstui paris interno, cum intercostali concurrente, & plexum mesentericum formante adipiscantur. Sicuti b. HOFFMANNVS in *Medic. rational. Systemat. Tom. IV. Part. III. Cap. II. Demotibus conuulsuis* memoratum nexus primarum viarum cum medulla spinali descriptum dedit.

§. XXI.

Non minus mensium anomaliis, data caussa occasionali, familiarissime succedunt conuulsiones, facileque in consuetudinem abeunt, praeprimis ab animali pathematibus, quandoque satis leuibus, ortae. Quorsum HIPPOCRATES respectum habuisse videtur inquiens: *conuulsiones in uteri strangulatu, antea non expertae, imposterum facilius reuertuntur. Coac.*

349. Etiam si vero hoc assertum verissimum sit, tamen prognosi hippocraticae, quam idcirco dedit, subscribere nequimus, dum *Aphoris.* V. 56. et VII. 9. affirmat: *conuulsionem fluxui muliebri superuenientem, portendere periculum.* Quia satiscognitum est, quod et puellae emanzione mensium laborantes, & aliae menstruatae virgines feminaeque saepius conuellantur, absque omni tamen infelici euentu. Potius ex contraria parte obseruationes clinicae docuerunt, conuulsiones quandoquidem versus tempus menstruum ingruentes fluxum catameniorum promouisse: id quod eo facilius concipi potest, quia per principia pathologica constat, quod humores ad euacuationem dispositi facile per conuulsionem excernantur; sicuti ex hoc fundamento sub insultibus conuulsus non raro faex aluina, urina, sperma &c. expelluntur. Praecipue autem duplici vitio mensium conuulsiones facile superueniunt, nimis mensibus dolorificis et fluxui nimio. Vbi enim dolorum atrocia vrget, ibi sistema neurorum irritatur et conuulsio prouocatur, ideoque si spasmorum vehementia loca vterina diu multumque vexat, denique ex consensu neurorum percellitur medulla cerebralis. Sub fluxu autem nimio contingunt depletiones vasorum, secretio itaque liqui-

liquidi neruei turbatur & hoc modo caussa conuulsioneum proxima ponitur. Praeterea pertinacia harum conuulsionum adhuc notanda erit, adeo ut conuulsio similem plane cum fluxu menstruo criticam & perennem induisse naturam videatur. Non nihil forsitan huc contribuit propensio vtriusque symptomatis ad recursum secundum phases lunae subeundum.

§. XXII.

Plus etiam terroris & afflictionis quam periculi fouent *conuulsiones hystericae*, ita ut aegrotantes, quae hodie, sub motibus conuulsu*s*, moriturae videbantur, crastino die satis alacres & sanae in publicum prodeant, quia iisdem non aequa organa vitae afficiuntur, sed habitualem potius naturam induerunt. Id igitur monendum esse duco, quod conuulsio hysteria, vtvt valde dira & terribilis videatur, in se non adeo periculosa sit, nisi peruersae curationes vel incongrua diaeta & malum regimen accedant, vel subiecta valetudinaria incidat. Praeclare de hac conuulsione hysteria B. HOFFMANNVS in *Medic. rational. systemat. Tom. IV. Part. III. Cap. V. de malo hysterico*, sequentem in modum docet: *nullus morbus est, cui tam facile conuulsiones artuum iunguntur, quam qui ex vteri vitio pronascitur.* Rursus

D

baud



*baud infrequent i constat obseruatione, hunc affectum,
vbi ab infelici abortu vel graui puerperio ex culpa si-
ue medici siue aegrotantis progignitur, quam facile
recurrere, & ex leui quadam cauſa neruofum genus
affigente, de nouo corpus infestare. Quamquam igi-
tur periculum ex conuulsione hysterica non timen-
dum sit, tamen admodum rebellis putandus morbus,
qui optimis quoque curationibus non auscultat, po-
tissimum quia vitium non tam in conditione mate-
riarum peccantium, quam potius in anomaliis mo-
tuum & peruersa consuetudine consistit. Hinc in
sensibilioribus foeminis, quae vitae sedentariae &
animi commotionibus nimium indulgent, obueni-
ente leuissima cauſa, illico conuulsiones recrudeſ-
cunt. Varia conuulsionis hystericae exempla ab
B. HOFFMANNO l. c. relata et perspicue expli-
cata leges.*

§. XXIII.

Verum enim vero quamquam malum hypo-
chondriacum & hystericum maxime inter se tam
intuitu cauſarum, quam respectu symptomatum
conspirent; fida tamen experientia manifestum est,
hypochondriacos rarissime conuelli. Sat certa est
&

& comperta veritas facti, quae autem veritas rationis subsit? fateor eam obscuram, nisi ad sensibilitatis rationem in viris ut plurimum debiliorem prouocare vellimus. Ast si quandoquidem in corpore hypochondriaco conuulsio deprehenditur, illa plerumque euadit funesta. Ita varia de hypochondriacis legimus exempla, quibus, falso pro phreneticis habitis, camphora interna data, conuulsiones accesserunt cum subsecente lethali eventu.

§. XIV.

Tandem *conuulsiones ex scabie* retropulsa ortum ducentes nominandae veniunt. Impuritates enim, quae in scabiosis morbis in superficie haerent, ad interiora loca conuertuntur, atque hoc modo excretiones impediuntur & impura salia massam sanguineam replent. Hae impuritates, dum naturae sunt acris et fere causticae, ad partes neruofas cum aliis humoribus ducuntur, illisque firmius inhaerent, plura sotica machinantur mala atque periculosissimas producunt conuulsiones.

T A N T V M .



PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. D. P.

P R A E S E S.

Systema neruosum, fibrarum musculosarum tractus horrendis saepe numero exagitatur concussionibus, quae cum nil nisi affectus terroris, atque periculi pleni sint, praxin medicam facientibus multum proh! negotiū facessentes: prudenter, me saltem iudice, fecisti, quod, quid veri, quid falsi sit timoris, docte **TVA** dissertatione demonstraueris. Gratulor **TIBI PRAENOBILISSIME DOMINE CANDIDATE**, manifestum hocce eruditio[n]is specimen, quod, exceptis sub emendatione additis, praeter **TE** auctorem agnoscit neminem. Gratalor porro studia academica diligenter ac cum laude peracta. Ut autem cunctorum **TVORVM** coeptorum exoptatos experiaris successus, pietatem et sincerum proximo seruendi studium atque amorem eommendo; quae genuina praefidia plus ad felicem praxin iuvant, quam farrago falorum artificiorum, quorum motuae auaritiam et pomposam empiriam redolent. Quare commendatam viam si eliges, largissimos in **TE** benedictionis diuinae riulos deriuabis, id quod certissime spero atque sincere opto. Vale, meque amare perge. Dabam Hal.

Magd. die XXI. Dec. MDCCCLXI.



1761/62
Halle, Med. Diss., 1761-62



SB

Rutho
VD18



Farbkarte #13



IN AVGVRALIS SEMEOLOGICA
DE
V L S I O N E
S I G N O

14

QVAM
NTE SVMMO NVMINE
ATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
ESSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO
CHRIST. IVNCKERO
AE ET MEDICINAE DOCTORE
RE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII
NOTROPHEI HALENS. MEDICO
CONSTITVTO
REGIA FRIDERICIANA

PRO
D V DOCTORIS
EDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
MAIORVM RITE OBTINENDIS
DECEMBERIS A. S. R. M D C C L X I .
DITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR
G OTTLIEB HOELTZER
BVRGENSIS

ALAE AD SALAM

S C H N E I D E R I A N O .